

termittamus. In eju quem diximus libelli capite 12, Græcorum menses ita recensentur. *Vocatur autem apud eos ipse December* Ελαφβολίων, *Januarius* Νυχίων, *Februarius* Θαρρηλιών, *Martius* Δίσις, *Aprilis* Ξανπιός, *Maius* Αρτεμισίς, *Junius* Δίσις, *Julius* Πάνεμος, *Augustus* Λώσις, *September* Γορδιαίς. (pro Γορπιάς) *October* Υπερβερετάς, *November* Δίσις. Portentosa plane est enumeratio. Quid Elaphebolioni cum Distro, Xantico, & Macedonum ceteris? Quid Thargelioni? Hi enim Attici menses, inter illos Macedonum, locum nunquam habuere. Νυχίων vero omnino verbum nihili est. Forfan Munichionis reliquæ. Sed & ita hinc non minus ablegendum quam Attici menses ceteri. Et nimis oscitanter Joannes Noviomagus, qui feriem mensium Græcorum ex depravatissimo hoc loco excerptam Bedæ auctori tribuit. Ceterum Græcorum vocabulo, Macedonas tantum seu Syromacedonas æternum illud Britannia decus heic innuit, nec alios quam Macedonum menses revera nominavit. Ita scilicet scripsit ipse; *Vocatur autem apud eos ipse December* Απελλίσις, *Januarius* Αδινίσις, *Februarius* Περίσις, *Martius* Δίσις, *Aprilis* Ξανπιός, &c. Id discimus ex vetustissimo Bedæ exemplari Ms. in infirmissima Nobilissimi viri Roberti Cottoni Bibliotheca, ubi ad hunc modum locus ille exaratur; Græcis, ut fit, nominibus aliquantulum corruptis. *Vocatur autem apud eos ipse December* Αpileος, *Januarius* Εξδυνίσις, *Februarius* Περιθίσις, *Martius* Δίσις, *Aprilis* Χανθίσις, *Maius* Αρτεμείσις, *Junius* Δεσειός, *Julius* Πάνεμος, *Augustus* Λωσιός, *September* Γορπιείσις, *October* Υπερβερετάσις, *November* Δίσις. Ita notissimo & perpetuo mensium Macedonum textu usus est doctissimus Beda. Elaphebolioni, Thargelioni, Nychioni seu Munichioni, nempe Atticis, nullus ibi locus erat, antequam, sive ab exscriptoribus imperitis, sive à negligentibus Editoribus, perperam, neque summa sine injuria, præberetur. Quin satis obvium sane fuisset etiam, ex ipsius Ephemeride, sua mensibus heic tribus nomina restituisse. Nam in ea Græcorum duodecem menses vocabulis item Macedonicis adnotantur.

Canon